Summa scripti exhibiti ab Adversarijs, quod Lectum est à Caesare Catholicis. 13. Maij. 1566. Augustae.

Cur noluerint hoc scripto discedere ad Tractationem causae Religionis.

Excusare cupiunt quod autores esse dicuntur dissensionis, et schismatis, nam causa malorum omnium hodie profluxit quoniam ex propria potestate et temeritate nulla praecedente cognitione, qui tenent ordinariam successionem ab Eccl. Romana se separaverint.

Ad haec sancte dicunt se vera usos, et scripta confecisse, nempe quod ex mandato Dei immutabili et sacro commoti sint, eam quam profitentur doctrinam veram, et sacro vitare antichristi abominationes, et idolomanias, quae fiunt et sunt in Papatu, et hoc ob primum praeceptum decalogi. 2°. ob illud, Hic est filius meus dilectus Matth. 3. Gal. 1. si quis evangelizaverit.

Huius consilij sui rationem hactenus reddiderunt superioribus. et alijs potentibus subjicientibus. sed S. Christianae Eccles., quae iudicium accepit, non ex traditionibus humanis, sed ex verbo Dei. Et adhuc nos submittimus, et subjicimus verbo Dei unico, et immutabili, quod Eccl. tenet, et tenere debet super aedificata, et quod unicum est, et esse debet fundamentum, et regula doctrinae salutaris. Et si commiceretur in uno vel pluribus articulis ex tali fundamento verbi Dei, melius infidelitati profitemur, non volumus obstinati nostro cerebro nitij. Sed nos iterum nunc sicut ante saepe palam protestamur coram Deo, et toto orbe, et Maiestate tua, et toto Imperio.

Ob rationem temporis, et pronae Caesaris aliorumq. Principum, et absentium de his Comitijs, expectationem, qui sperant futuram ex illis Liberationem multorum à Tyrannide et abominationes Papistica, et ob propagationem fidei, et doctrinae urgeri ad Religionis suae dissensionem.

Deinde ob necessitatem ex officio promovendi summam utilitatem tam in Spiritualibus quam in temporalibus.

Item quia Catholici Papae adhaerentes noluerunt de praecipuo hoc articulo tractare, et putarunt unumquemq. debere Caesari proponere sua gravamina speciatim.

Disputant ex historijs adversum Primatum Pontificis quod à tempore Christi, et Apostolorum solum sibi commissum habuerunt ministerium Ecclesiae, et quod ambiverunt deinceps primatum temporalem et praeeminentiam super omnes Ecclesias. Id probant ex disputationibus Pontificum et Thorum orientalium, quae disputatio usq. ad tempora duravit Bonifacii, qui Episcopis Pontificibus permisit Primatum, ut suam ipsi stabilirent tyrannidem, et Italiam pro sua parte haberet. Unde iusto Dei iudicio statim ortus est Mahometismus. Multis hodie putat Christianismum hactenus à Deo flagellari per Turcas, ob praesumptam hanc potestatem Papae.

Neque unquam agnitus sic primatus fuit à Constantino, et alijs Gravis, qui Pontifici nunquam subiecti fuerunt.